



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

De praecipua Hominis proprietate. Cap. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

De præcipua Hominis proprietate.

CAP. VII.

HActenus à primo rerum principio vsque ad postremum omnia lustrauimus; cumulatè vidimus, quomodo à primo opifice per conuenientia media vsque ad extrema, omnia effundantur: vidimus hominem in tenebris, & vmbra collocatum: Reliquum modò est considerare: quomodo ei vires, & facultates tributæ sint; per quas valeat ex infimo ad summū gradum extolli, ex tenebrisque ad lucem per animæ alas euolare. Procreationis munus, solius Dei est; munus verò conuerfionis, est hominis, nō tamen sine Dei auxilio. Deo minimè fuit procreatio difficilis; homini verò reditus in Deū, apprimè arduus, & difficilis est. Sic facilis est descensus; at reuocare gradus, hoc opus, & hic labor est. Vt homo ad hunc reditum excitaretur, maximeque aptus, & accommodatus ad eum esset; variis proprietatibus donatus fuit. Homo enim cum sit anima rationis particeps, rerum omnium rationibus decorata; in corpore tamen sopita, quasi ebria, sui quemet oblita: vt est anima rationis particeps; omnes scientias, & rerum formas actu includit: vt ea cum corpore est iuncta, & sopita; nullam habet actu, sed est, vt liber in inscriptionibus carēs: vt valet excitari, in se reuerti, & reminisci; est nata fieri omnia. Hinc homo per rationem est diſciplinæ capax; & cum diſciplinæ sit capax,

eius maximè propria est admiratio: quæ est occasio inquisitionis veritatis; & cum eius admiratio sit propria, etiam aptitudo ad ridendum propria est, quæ admirationem exposcit. Aristot. in proœmio Metaphys. disciplinam, non propriam hominis asserit, sed communem etiam nonnullis iumentis, & feris. De hoc tamen nullus est inter eum, & Platonem: quia, dum asserimus disciplinam esse propriam hominis; de præcipua, & propriè sumpta loquimur, quæ rationem exposcit: ea, quæ communis est etiam feris, est disciplina ex sola assuetudine, & memoria pendens. In hoc tamen Aristot. verè à Platone dissentit, nec conciliari potest: quia Aristot. intellectum, quem potestate appellat, ut omnia fieri valeat, omnibus intelligibilibus formis debere esse denudatum existimat: Plato verò solùm asserit esse denudatum in respectu, & in parte; nõ absolute: conciliari inquam non possunt; quoniam Aristot. neque ideas, neque rationes ideis respondentes concedit, ut alibi ostensum est.

De Gradibus in acquirenda scientia.

CAP. VIII.



Quoniam ex veritatis cognitione, in homine manat omne bonum, vniuersaque eius perfectio; ac insuper, quoniam modus acquirendæ scientiæ est difficilis cognitus; adeò, ut de eo summopere Arist. à Platone dissentiat: propterea